

Cap. V. De omicidio et membro mancho. R.ca.

Statuimus quod, si quis civis vel habitator Tergesti sive forensis occideret vel interficeret aliquem civem Tergesti, in civitate vel districtu Tergesti sive extra districtum ubique locorum, puniatur pena capitali, et quod quecumque persona occiderit aliquam aliam personam etiam non civem in civitate vel districtu Tergesti, puniatur pena capitali, nisi tale homicidium factum fuerit defendendo suam personam ab eo qui contra eum venerit cum armis mortalibus causa ferendi; et hoc probare possit cum tribus vel duobus honestis hominibus, qui presentes ibidem fuerint et viderint. Tunc ¹⁾ nulla[m] pena[m] paciatur, cum omnia iura clamant «vim vi repellere licet». Et si dictis testibus voluerit esse probatum per duellum quod falso testificati fuerint, et sucumbuerint, solvant ipsi testes in comuni libr. centum par. et sint perpetualiter infames, et stent
 120 B extra civitatem Tergesti per unum annum, et nichil- // ominis testificatio ipsorum testi(ti)um sit nulla et nullius valoris; et si talis falsus testis sic condemnatus intraret civitatem vel districtum Tergesti et capi poterit, ponatur in carceribus communis, in quibus stet usque ad complimentum anni. ¶ Si vero testis obtinuerit per duellum, ille qui probare volebat contra eum, paciatur penam centum libr. par. in comuni, quam ille pati debeat, et satisfatiat ei de dampnis et expensis ex inde factis, et stet extra civitatem Tergesti et districtum per unum annum; et si ante complementum anni intraverit civitatem vel districtum Tergesti, ponatur in carceribus communis, in quibus stet usque ad complimentum anni. ¶ Si vero aliqui testes presentes homicidio non fuerint, per quos veritas homicidii cognosci non possit, defendat se inculpatus de homicidio per duelum, quod aliter illum non occiderit nisi defendendo suam personam. Set si testes presentes fuerint eidem homicidio, per quos veritas homicidii plene cognoscatur, homicida se per duelum defendere non possit sed puniatur pena homicidii supradicta.²⁾ Et si propinqui occisi essent ita debiles quod non possent ip-

¹⁾ tunc - paciatur aggiunta marginale.²⁾ Aggiunta marginale.